

6

THESES
EX VNIVERSA
ARISTOTELIS PHILOSOPHIA.

Quas

IN CELEBERRIMA ET ELECTO-
RALI VNIVERSITATE INGOL-
STADIENS.

Disputandas proposuere

TRES E SOCIETATE IE-
SV METAPHYSICÆ STV-
DIOSI.

AD DIEM 30. JVNIL.

ANNO C15. I5C. XXIX.



INGOLSTADII

TYPIIS GREGORII HAENLINI.

DIVÆ VIRGINI
MAGNAE MATRI
PATRONAE MAXIM AE
POSITIONES HAS
TRIENNALIS LABORIS.

ARGVMENTVM
ÆTERNVM ADDICTI

CLIENTES
CONSECRANT.



THESES
EX VNIVERSA PHILO-
SOPHIA.

EX LOGICA.

THESIS. I.



Ogica docens est virtus intellectualis, propriè dicta scientia, absolutè prædicta, secundum quid speculatiua; illi obiectum Formale quod est operatio mentis dirigibilis in modo cognoscendi, eadēque finis principalis, ut dirigibilis ad regulas logicas. Logica vtens sunt habitus aliarum scientiarum, & forsitan etiam Topicæ, prout diriguntur præceptis logicis probabilius moraliter tantum concurrentibus.

2. Materiale vniuersalis est natura formaliter una, seu individua per prædicata essentialia; formale est vnitas præcisionis, & quod hanc vnitatem consequitur, aptitudo inefendi multis, & tam hæc quam illa in statu existentiæ obiectiuæ naturæ conuenit; sit vero vniuersale qua tale, & metaphysicum, per notitiam absolutam, directam, abstractiuam, logicum per reflexam & comparatiuam, vtrumque non ab intellectu agente sed possibili. In prædicatione actuali vniuersalitas non deperditur.

3. Vniuersale vt genus analogum quinque sub se numerat species, non tamen immediatas; Genus, Speciem, Differentiam, Próprium, Accidens. Tam genus quam species vnt in vna tantum specie aut individuo conseruari, ita ab his etiam abstracti possunt. Nulla differentia in suo conceptu formaliter includit genus, aut differentiam superiorē. Próprium in ratione vniuersali constituitur tam per respectum ad suam speciem aut genus, quam ad inferiora, ad quæ vna cum subiecto descendit.

4. Prædicamentum est alicuius generis summi realis & quæ sub ipso sunt naturalis dispositio. Horum, censentur decem, quedam inter se distincta realiter, quedam ratione, quedam per denominationem tantum extrinsecam substantiam denominant. Ponuntur vero singula in prædicamento, vt aptissima sunt de inferioribus prædicari, substantiæ in concreto, accidentia in abstracto.

5. Substantia est ens per se existens, dividitur in primam & secundam tanquam analogum in analogata. Relatio prædicentalis est entitatius fundatum & terminus, adeoque denominatio partim intrinseca à fundamento, partim extrinseca à termino, utramque de essentiali illius conceptu, illa quæ à fundamento est in recto, quæ à termino in obliquo, & illo non ut formaliter respectivo, sed ut absoluto, reali & realiter distincto. Præ-

A 2

ter haue

T H E S E S

ter hanc datur etiam relatio transcendentalis, eaque affecta dicuntur, quorum entitas dependet à possibilitate termini.

6. Ratió formalis signifi catur ab aptitudine proxima aliquid significandi, orta vel ex nexu physico, vel libero instituentis arbitrio, utroque tamen cognito. Vox in aere prolatá significat ex instituto & conceptum ultimum loquentis, & rem quam naturaliter conceptus hic significat. Prater hæc, scripta etiam voces & primò quidem significant.

7. Enunciatio mentalis formaliter est unus numero conceptus, simplex, expresse copulam, confusè extrema representans. Contradictionis de futuro contingente altera pars determinatè vera, altera falsa est, nec vera eadem specie manens falsa esse potest, aut contraria. Verbum Est in propositionibus de tertio adiacente omnem perfectionem essentialiem verbi non tamen accidentalem habet.

8. Syllogismus essentialiter conclusio nēm, præmissas ut partes integrantes inuoluit; necessitatem illarum per se non tantum quoad speciem sed etiam exercitium actus; conclusio nēm efficiunt moraliter, non necessariò præhabito iudicio reflexo de bonitate illusionis. Maius extremū in secunda & tertiā figura est, quod prædicatur in conclusione, minus, quod subiicitur, adeoque in his indirecti modi non dantur.

9. Demonstrationis potissimæ medium est soli definitio subiecti; effectus illius est scientia, quæ est cognitio iudicativa certa & cvidens rei necessariæ per aliud; versatur circa res vniuersales, necessarias, æternas &c. vnitatem suam desumit secundum diuersam abstractionem à materia. Habitus principiorū distinctus ab intellectu pro multiplicitate obiectorum specie diuersus est, & per accidens tantum discursiuus.

EX PHYSICA.

10. Physica est scientia speculativa corporis naturalis, qua talis. Principia illius in sive numerantur tria, Materia, Forma, & Præiatio; in facto esse formam & subiectum. Materia prima habet propriam existentiam, ferturque in formas tam accidentales quam substantiales, etiam levem destruetas, appetitu non elicto, sed innato, ex cuius potentia omnes, excepta sola anima rationali, educuntur.

11. Unio inter materiam & formam est modus substantialis vel accidentalis pro ratione partium, unus ac simplex, materialis, ideoque inherens materiae ut subiecto, adhærens formam tamquam termino intrinseco, utriusque actuale formale exercitium, creabilis à Deo, ut & modi alij omnes excepta sustentatione. Compositum à partibus unitis non distinguuntur. Præiatio quæ est carentia formæ in subiecto apto per sui destinationem inesse actualitatem principij constituitur.

12. Natura est principium & causa motus & quietis eius, in quo est, primo per se & non secundum accidens, vbi non actuum modò sed & passuum principium intelligitur. Causa est principium per se influens esse in aliud. In actu primo per vim quandam causandi a certitate cause non distinctam, in actu secundo per influxum realem distinctum constituitur. Sunt autem Materialis, Formalis, Efficientis, Finalis, sepe inter se formaliter tantum distinctæ.

13. Causæ materialis effectus mediatis sunt unio, generatio, forma materialis, ultimus est compositum; in hunc influit per receptionem, in illos per generationem passiuam seu sustentationem. Causa formalis primariò per unionem, qua informatio est, causat compositum, secundariò expulsionem præexistentis formæ, natura posteriore introductam, nec per modum causæ nec dispositionis prærequisitam.

14. Effi-

PHILOSOPHICÆ.

14. Efficientis causalitas in actu secundo est actio, modalis entitas, ab agente, termino, & passo distincta modaliter, ab ipsa passione, si creativa non sit, ratione tantum; recipitur autem actio eductiva in subiecto termini producti, creativa in ipso termino, estque accidentalis utraque; et si productiva sit substantia.

15. Accidens alterius ad extra producti accidentis est causa principalis. Substantia in sui productione dependet tam ab accidente quam substanciali, ab hac vt principali, ab illo vt instrumentali causa, utraq; concurrente immediatè. Ens quodlibet per se respectu Dei habet potentiam obedientialem ad producendum quodlibet in ratione instrumenti. Actus & potentia in quibus nulla est proportio, probabilius per nullam potentiam sibi inuicem viri possunt.

16. Deus vt causa prima & vniuersalis concurrit ad omnes creaturarum actiones, influxusq; est idem Deus qui creaturarum, haec ad speciem quidem, ille ad individuum actus determinat. Unus idemq; effectus absolute à duabus causis totalibus in eodem genere pendent non potest; sicut nec quicquam seipsum, nec causæ se inuicem, aut termini suas causalitates realiter physicè causare possunt.

17. Finis causalitas in actu primo est bonitas rei, in actu secundo terminatio actualis alicuius habitudinis ad ipsum qua bonus est. Mouet intentionaliter supposita sui cognitione tanquam conditione. Bruta propter finem non agunt, sed in finem aguntur à Deo & natura.

18. Quantitas est ens absolutum realiter strictè distinctum à substanciali & accidentibus, divisibile in partes proportionales in infinitum; huius essentia consistit in aptitudina, & extensione partium cum exigentia impenetrabilitatis; tres numerat species, lineam, superficiem, corpus; partes suas omnes possibles nec actu habet, nec absolute habere potest.

19. Datur individuabilia realia positiva continuatio, & terminatio eaq; modalia, subiecta, tur in individuabilibus materiae vel quantitatibus, partes adhæsiunt tantum afficiunt. Infinitus actu nec de facto est præter Deum, nec in ullo entium genere etiam per absolutam potentiam esse potest.

20. Motus est actus entis in potentia quatenus in potentia; distinguitur modaliter à subiecto & termino materiali vel spirituali, ab actione & passione tantum ratione. Tam instantaneum quam successivus rationem specificam defumunt maxime à termino ad quem, individualem ab eodem agente, termino & subiecto. Velocitas & tarditas motus sunt denominationes formaliter relatiæ, quibus ad se inuicem referuntur motus respectu transitu à se spatijs.

21. Præter locum extrinsecum datur ubi quoddam intrinsecum, per quod formaliter aliquid constituitur alicubi; producitur ordinariè per motu localem, specificam rationem, quæ essentialis non est, desumit à fixis mundi partibus; numericam à subiecto. Idem locus duo corpora, & unum corpus duo ubi naturaliter habere non potest, supernaturaliter non implicat.

22. Vacuum tantum supernaturali potentia conceditur; in eo motus alteratiui immobili & locales aliqui fieri possunt. Ratio temporis formaliter sumptu nihil superaddit duratio, ni motus primi mobilis, quam denominationem extrinsecam ab intellectu mensurante a tempore vel potentia; duratio vero seu tempus intrinsecum est relatio seu coexistentialia rei cum tempore extrinseco.

23. Mundus quoad entia permanentia, non vero quoad successiva ab æterno potuit existere.

T H E S E S

existere. Cælum est corpus naturale, simplex, diversæ speciei ab elementis; materialia sublunaribus differt, quæ toties diversæ speciei est, quot diuersæ specie formæ cælestes sive in stellis, sive in cælis ipsis deprehenduntur.

24. Stante terra cælum mouetur motu circulari ab assistente intelligentia, nec ullum fidus aut cælum diuersis motibus distinctis, sed realiter uno, apparenter multiplici mouetur; motus iste ut conditio applicat substantiam cæli tum per lucem tum per calorem in hac inferiora agentem; actiuitati huic anima rationali, adeoque liberum hominis arbitrium nullo modo subiacet, nisi indirectè tantum.

25. Elementa sunt quatuor, Ignis, Aëris, Aqua, Terra. Centrum magnitudinis terræ probabiliter idem est cum centro granitatis. Grauitas & levitas qualitates ferentes vel à medio vel ad medium specie essentiali differunt: grauitas verò aquæ & teræ; levitas item ignis & aëris speciem eandem participant. Elementa, quæ qualitates has in summo non habent à contraria completi verisimile est.

26. Datur præter has qualitas alia, impulsus scilicet latius projectorum, sive suctum sive deorsum aliisque tendat idem specie manet; producitur actione alteratiuā per se in instanti per accidens successiuē, conservatur à Deo, ab eoque solo destruitur. Mobile in puncto reflexionis quiescit partim negatiuē partim priuatiuē, reflexus autem motus producitur ab impulsu, non quem projiciens, sed obstatulum impressit.

27. Formæ substanciales in generatione naturali incipiunt intrinsecè & extrinsecè desinunt. Entia spiritualia quin extrinsecè possint incipere nihil obstat. Ad omnem actionem naturalem requiritur contactus Mathematicus & Physicus inter agens & passum, item immediatio virtutis vel suppositi. Deus etsi omnipræsens non esset, & interim omnipotens, in distanti loco effectum producere posset.

28. Nihil seipsum destruit aut producit totaliter & directè. Simile non agit in simile secundum gradum etiam illud densius sit, nec minus intensum in magis intensum. Datur vera positiva reactio & repassio secundum eandem partem. Reproductio quod naturalis non sit, oritur ex eo, quod Deus causas secundas ad eundem numero effectum reproducendum non determinat, ideoque supernaturaliter possibilis est.

29. Generatio substancialis per se instaranea per accidens successiuā formaliter consistit in vnitione formæ cum materiali. Corruptio generationi opposita, est ens merè negativum, in qua non fit resolutio usque ad materiam primam quo ad omnes formas accidentales, nec substanciales partiales in viuentibus, fit tamen quoad substanciales totales non subordinatas.

30. Alteratio ex naturâ suâ motus successiuus continuus, supernaturaliter in instanti potest. Intensio fit per additionem gradus ad gradum in eadem parte subiecti. Gradus omnes eiusdem specificæ & individualis perfectionis sunt. Elemento cuilibet qualitas una conuenit in summo, una in prope summo; quodlibet generari potest ex quolibet immediate, facilius symbolum ex symbolo.

31. Mixtio est miscibilem alteratorum vno; constituitur adæquate per vnititionem formæ mixti cum materiali miscibilem, & in vniōne continuativa materialium; inadæquate & formalissime per productionem formæ mixti, in quo elementa non actu sed virtute tantum manent.

32. Materia meteororu remota est terra & aqua, propinquia vapor & exhalatio; sunt plerumque in terrâ vel aëre ab ipsâ substanciali cæli, solis, aliorumque siderum influxu. Ab elementis accidentaliter se ferè tantum differunt. Galaxia est congerie ingens minutissimum

PHILOSOPHICÆ.

rum stellarum in firmamento. Iris oritur in nube torida opposita soli ex reflexione radiorum, videturque communiter sub angulo semirecto.

33. Anima est actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis. Tria animalia, quatuor animatorum censemur genera. Anima rationalis formaliter est sensitiva & vegetativa; idem est iudicium sensitivæ ad vegetativum. Omnes diuisibiles sunt in partes homogeneas, exceptâ rationali. Probabilis vngues, capilli, humores in corpore &c. ab animâ non informantur, quemadmodum ossa, caro dentes &c.

34. Actum vitalem essentialiter constituant actio physica, terminus & vno inter terminum & viuens, vitaliter à Deo creari non potest. Potentia distinguuntur realiter ab animâ, ab eaque in primo instanti generationis procedunt effectuè; si organicæ sint subiectantur in organo & probabilis in materia, si inorganicæ in ipsâ animâ, quam etiam in statu separationis comitantur.

35. Anima effectuè principaliter immediate, instrumentaliter potentia in actus vitales influunt, in quibus actus intrinsecè vitales, in alijs alijsque subiectis extrinsecè vitales recipiuntur. Potentiarum genera secundum Arist. sunt quinque; specificantur hæ immediate ab actibus, mediata ab obiectis, formaliter & sub certa considerabilitate, & modo in illa tendendi, sumptis.

36. Anima vegetativa potentia principales nutritiva, augmentativa, generativa inter se entitatiuē non distinguuntur, ab ijs tamen ministeriales, inter se itidem indistinctæ, realiter diuersæ sunt. Augmentativa nouam quantitatē præexistenti motu per se non necessariè successiuo vnit. Vvieatia habent terminum magnitudinis & paritatis determinatum, non item substanciali inanimate & accidentia.

37. Radicalis raritas & densitas consistit in certâ qualitatum primarum temperie determinante quantitatē ad profundendam ex se extensionem partium, ubi nec vacuum nec penetrationem corporum dari certum est. Nutritiva formaliter tendit in productionem animæ in alimento & vnitione ipsius animæ quoad esse vel quoad inesse.

38. Obiectum sensus proprium est quod per propriam speciem vt quod, commune quod per eandem realiter proprij speciem cognoscitur vt quo, nec hoc sine illo vel naturaliter vel supernaturaliter, sicut nec substanciali aut spiritus sentiri possunt. Res indiuisibiliter existens, item obiectum absens aut omnino non existens supernaturaliter tantum sentitur. Sensus super suam sensationem se non reflectunt; laedi etiam à sensibili, indirectè tamen, & nonnunquam falli possunt.

39. Sensus externi sunt Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, Tactus. Ad omnes hos actualiter exercendos requiruntur species impressæ, productæ ab obiecto per medium vique ad organum, & in ipso organo; sunt qualitates accidentales, materiales, diuisibiles extensæ ex parte subiecti, & obiecti, probabiliter non virtuales, tantum sed etiam formales imagines obiecti esse possunt.

40. Obiectum visus est color & lux intentionalis & realis; lux ad speciem sui profundiā non indiget reali sui diffusione per medium, alia visibilia omnia indigent. Visio fit in tunica retina, receptâ specie ab obiecto. Auditio fit proximè in pellicula instrata super peluum osseum, pro obiecto habet sonum realem & intentionalem.

41. Olfactus in processibus mastillaris residentis obiectum est odor. Sapor à gustu in lingua & neruis gustatorijs; quatuor primæ qualitates & quedam secundæ à tactu in neruis, carne & partibus membranaceis sentiuntur. Sensus internus realiter vnu, potestate multiplex in cerebro residet, versatur circa omnium externalorum obiecta, eorumque sentatio-

sationes, non improbabiliter etiam circa proprias. Illi subordinatus appetitus sensitivus undecim actus numerat. Dolor & voluptas nihil aliud sunt quam actus appetitus praesupposito actu sensationis obiecti conuenientis vel disconuenientis.

42. Anima rationalis est actus substantialis, spiritualis, indivisibilis, immortalis & incorruptibilis, a solo Deo creabilis, una specie in omnibus hominibus, in singulis numero diuersa. Intellectus agens & possibilis connotato tantum differunt. Species omnes intelligibles sunt qualitates spirituales, impressæ producuntur una cum potentia à phantasia tanquam com principio instrumentalis; concurrunt tantum determinatiæ & formaliter (quod de sensibus intelligendum est) ad speciem expressam.

43. Earum rerum dantur species intelligibles propriæ, quarum sensibiles, reliquarum omnium abstractiæ vel negatiæ. Voluntas tendit in bonum vel malum actu fugæ vel prosecutionis, dependet in operando ab intellectu applicante per modum conditionis beatitudinem finis; est potentialis libera, ipsumque formaliter liberum arbitrium hominis; libertas alia si quæ sunt, per participationem tales sunt. Status separationis animæ est prætor naturalis & mixtus, nec propriæ naturalis, nec violentus.

44. Dat habitus qui in intellectu & phantasiam entitatiæ à speciebus. impressis probabilitate non sunt distincti; inueniuntur habitus maximè in voluntate, & aliquo modo etiam in appetitu; producuntur totaliter ab actibus vitalibus; producunt ipsi suis actus moraliter non physicæ; augentur dupliciter, extensiæ in productione plurium specie actuum, intensiæ eiusdem actus circa idem obiectum repetitione, etiam minus intensi, quam ipse habitus sit; destriuntur vero per se ad positionem contrarij, ut scientia ad positionem erroris.

EX METAPHYSICA.

45. Metaphysica est scientia speculativa, recte etiam sapientia dici potest, quod universalissime sece extendit, versaturque circa obiectum cognitum difficultissimum, ens scilicet reale prout abstrahit ab omni materia re & ratione, principaliter circa Deum, per accidens tantum & secundario circa ens rationis.

46. Ens respectu Dei & creaturarum, item respectu substantiarum & accidentis est analogum attributionis. Dantur iuxta hæc attributionis, etiam proportionalitatis analogia propria & metaphorica. Minus principalia non habent appellationem sui nominis nec ab extrinsecæ tanquam à formâ, sed ab intrinsecâ quadam formalitate, cum ordine tamen ad formâ extrinsecâ tanquam terminum. Conceptus omnium est non nisi cōfusus & inadæquatus.

47. Proprietates entis sunt unum, verum, bonum, strictè identificatae cum ente. Unitas est carentia cuiuscunque divisionis vel distinctionis. Distinctio alia est realis, alia rationis ratiocinata, alia ratiocinantis, &c. Veritas est conceptibilitas quedam in ente secundum quā intellectus actualis vel possibilis intelligitur aptus cōcipere rem taliter, qualis in se est.

48. Gradus metaphysici tam generici & specifici inter se, quam ab individuali differentiatione non realiter strictè, nec modaliter, sed ratione ratiocinata distinguuntur, sicut & essentia ab existentiâ. Subsistentia est modus substantialis, quo ultimâ substantia in existendo perficitur, & incommunicabilis alteri ut supposito redditur, dissinguitur modaliter à substantia creatâ, que ab alienâ nisi increata terminari non potest.

49. Ensrationis propriæ dictum fit solùm per actum formaliter falsum, qui esse potest vel in apprehensione simplici circa obiectum complexum, vel in iudicio ipso; illud Deus non facere, cognoscere tamen potest. Excluduntur ab ijs denominations extrinsecæ, negationes, priuationes, relationes rationis, nisi quod fundamentum præbeat intellectui alio modo, quam in se sint circa eas versandi.